

Thesis 4^a.

Eadem ac aeterni Filii est Verbi divini tam essentia quam origo.

Termini:

Filius: persona divina secunda, de qua iam pridem.

aeternus: secundum habitudinem ad Deum Patrem; unde praescinditur ab oeconomia salutis, incarnatione.

verbum: multipliciter dicitur, et quidem diversimode apud diversos auctores; cf. praenotamen.

Verbum divinum: quod erat in principio apud Deum et Deus, Io 1, 1.

essentia: nempe, ipsa divina essentia Patri Filioque communis.

origo: nempe, Filii ex Patre origo.

Sententiae:

~~Claritatis causa sententias ordinamus logice, secundum quod idem essentia et origine ponuntur Filius et Verbum, vel diversa habentur, vel partialis quaedam agnoscitur identitas ut vel primo sit Verbum quod deinde factus est Filius, vel primo sit Filius qui deinde quodammodo dicitur Verbum.~~

~~Gnostici scholae valentinianae distinxerunt Patrem, Filium, Verbum, et Anthropon, ut alius sit Filius, unigenitus Deus in sinu Patris, principium, et aliud sit Verbum quod in principio erat et in quo facta est vita.~~

Sensus asserti:

In thesi antecedenti posita est distinctio inter divinam essentiam et proprietates personales quae relativae esse dicebantur. In praesenti fit applicatio quaedam particularis ut, scilicet, quaeratur de illo Verbo, de quo S. Ioannes in Prologo, (1) utrum sit Deus et (2) utrum solam divinam essentiam significet an~~q~~ proprietatem personalem etiam includat.

Respondetur (1) Verbum esse Deum et (2) personalem Filii proprietatem includere vel, aliis verbis, ead^m ac Filii esse Verbi divini tam essentiam quam originem.

Nota:

Thesis enuntiat doctrinam S. Augustini et S. Thomae a Pio VI approbata.

S. Augustinus, De trin., VII, ii, 3: "Eo quippe Filius quo Verbum, et eo Verbum quo Filius." ML 42, 936.

S. Thomas, Sum. theol., I, q. 34, a. 2 ad 3m: "... in nomine Verbi eadem proprietas importatur quae in nomine Filii: unde dicit Augustinus: eo dicitur Verbum quo Filius. Ipsa enim nativitas Filii, quae est proprietas personalis eius, diversis nominibus significatur, quae Filio attribuuntur ad exprimendum diversimode perfectionem eius. Nam ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut ostendatur coaeternus, dicitur splendor; ut ostendatur omnino ~~similis~~ similis, dicitur imago; ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri, per quod omnia ista¹ designarentur."

Pius VI, cum Pistorienses censuerint de personalibus proprietatibus exactius dici Verbum et minus propriam et exactam esse Filii appellationem, eos reprobavit et potius retinendam ~~et~~ indicavit "quod, edoctus ab Augustino, angelicus praeceptor vicissim~~is~~ ipse docuit, 'in nomine Verbi eandem proprietatem importari quae in nomine Filii,' dicente nimirum Augustino: 'Eo dicitur Verbum quo Filius.'"

Adversarii:

1. Gnostici, uti Ptolemaeus, qui alium Filium et aliud Verbum esse censuerunt.
2. Antenicaeni quatenus apud eos detegitur schema quoddam subordinationalisticum ut, scilicet, Verbum divinum sit aeternum sed non generatum neque Filius donec Deus Pater aliquando ex voluntate sua in ordine ad res creandas et gubernandas Verbum quodammodo emisit seu protulerit.
3. Origenes, quamvis nullatenus Verbum et Filium separaverit, eiusque veram aeternitatem atque spiritualitatem inculcaverit, novam tamen subordinationalismi speciem induxit docens Filium non Deum esse nisi per participationem.
4. Arius qui non solum Filium creaturam esse affirmavit sed etiam duplex distinxit Verbum, aliud proprie divinum, et aliud de Filio metaphoricè dictum, sicut etiam metaphoricè dicitur "vitis," "via," "porta," "lignum vitae."

— Cf. supra, pp.

Cf. supra, pp.

Cf. supra, pp. ~~Circa metaphoram, vide Athan.,~~

Cf. supra pp. Circa interpretationem metaphoricam,
vide Athan., Orat 2 c. Ar., 37; MG 26, 225 A.

5. Marcellus Ancyranus, secundum adversarium Eusebium ep.
Caes., Verbum divinum secundum hypostasin a Deo Patre non
distinxit, neque id esse Filium agnovit nisi ratione
praedestinationis ad incarnationem.

Cf. Euseb., Contra Marcellum, II, 1 et citationes
in II, 2.3, allatas; ed. Klostermann, pp. 31 ss.

Sententiae superatae:

1. Antequam clare inter essentialia et notionalia distinctum
sit, dicebatur Filius Dei sapientia Deique virtus (1 Cor 1, 24)
Dei Verbum imo Dei perfectio quasi sapientia, potentia, rationalitas,
perfectio non Patri inessent ratione essentiae sed ideo quia
Filius habuit qui Sapientia, ~~Potentia~~ Potentia, Verbum, Perfectio
sit. Ita inter Graecos et quidem usque ad Ioannem Damascenum

Sententiae.

1. Gnostici quidam scholae valentinianae Filium et Verbum distinxerunt. In octavo enim primo emissus est Filius, qui unigenitus unigenitus est Filius in sinu Patris (Io 1, 18), et Principium (Io 1, 1). Ex emissio illo emissum est Verbum, quod in principio erat apud Deum et Deus (Io 1, 1.2), per quod omnia facta sunt (Io 1, 3), in quo facta est Vita (Io 1, 4).

2. Inter scriptores antenicaenos de Filio sat communiter intelligebatur Prov 8, 22: Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua. Unde multi duo stadia distinxerunt. In principio quidem erat Verbum apud Deum. Quod tamen Verbum aliquando ex voluntate Patris in ordine ad res creandas et gubernandas emissum seu prolatum est; qua emissionem seu prolationem constituebatur Filii generatio.

Quae quidem sententia apud alios uti Iustinum paene innuitur, apud alios autem uti Tertullianum plenius evoluitur. Neque latiore quamdam Filii consubstantialitatem excludit, quatenus realismo cuidam acritico dediti auctores divinum spiritum e Deo emissum ~~et~~ Filii constitutum conceperunt.

— Cf. supra pp.

Videsis quae supra attulimus de Iustino, Tatiano, Athenagora, S. Theophilo ep. Antiocheno, Tertulliano, Hippolyto, Novatiano, pp.

— Cf. supra pp.

3. Ab hac sententia non perfecte receditur donec realismo dogmatico stabilito (quod maxime per controversias fieri solet) consubstantialitas stricte dicta intelligitur et affirmatur, ut scilicet eadem de Filio quae de Patre dicantur excepto Patris nomine. Quam tamen futuram sententiam aliquatenus praeparaverunt:

(a) Irenaeus qui nullam agnovit distinctionem inter Filium et Verbum, de quo non "aliquando" sed "semper" dicebat, cuius generationem mysterium docuit.

(b) Clemens Alex.[†] qui Filium et Verbum non distinxit, cuius aeternitatem agnovit, cuius generationem per analogiam spiritualem amoris ex amore concepit.

(c) Origenes pariter ~~mixtari~~ Filium et Verbum non distinxit, clarissime huius aeternitatem et spiritualitatem docuit, prolationes seu emissiones divinas ad fabulas demandavit, Filii generationem tanquam voluntatis originem[†] ex mente concepit, sed adeo non ad strictam consubstantialitatem pervenit ut Filium seu Verbum diceret Deum per participationem.

— Vide supra, pp.

Vide supra, pp.

Vide supra, pp. } ss., ss. Nota Origenem forte, quatenus categoriis stoicis utebatur, consubstantialitatem latiore docuit. Vide supra, p.

—

(d) S. Dionysius Romanus tritheismum et Sabellianismum pariter reiecit et Filium esse creaturam negavit. DB 48-51.

(e) Alexander ep. Alexandrinus, teste Ario, stadia Verbum et deinde Filium distinguētia reiecit, corporalem ~~emanationem~~ conceptionem de generatione Filii exclusit, mysterium affirmavit, Arium condemnavit.

4. Novam creavit situationem c. Nicaenum, cum Filium definiverit esse Deum, aeternum, ex substantia Patris natum, Patri consubstantialem.